

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.  
**1012**

**1010**

**1016**

**1006**

**1021**

**1001**

**1061**

**0961**

**1111**

**0911**

**0511**

**0011**

**Ende**

**Anfang**

439

ruentia. Porro omnia, quae in sportis fragilia erant, confracta sunt et dissipata; in una enim sporta erant multa vascula de confectionibus medicinarum et de liquoribus saporosis et aquis distillatis, quae omnia effusa fuerunt; portabat enim camelus ille apothecam dominorum peregrinorum. Et si infirmus dominus ille mansisset in sua sporta, sicut libenter fecisset, in mille frusta comminutus fuisset et, si mille colla habuisset, confracta fuissent. Bonum est infirmo, ut non admittantur ei, quae appetit; ille enim valde rogabat nos, ut eum in sporta dimitteremus descendere, cui nullo modo acquievimus, quia periculum vidimus, quod ipse impidente aegritudine videre non poterat. Cum multis ergo laboribus recollegimus res, quae ceciderant et quae inveniri poterant, et camelum reoneravimus et ita ulterius processimus cum majori cautela et bene ad quinque horas in labore descendendi laboravimus, quoisque in campestria devenimus. Cum ergo in planum sub monte venissemus, convertimus nos et clivum, per quem descendimus, respeximus, sed nequaquam videre poteramus viam, per quam descendimus, propter praeruptas petras et minaces rupes et praecipites saltus et recurvas metas et mirabamur, quomodo descendere potuimus, quia videbatur nobis impossibile, cum oneratis bestiis per tam arduissimum clivum descendere, et amplius mirabamur, quomodo de cacumine in praeceps descendere potuerimus, cum ipsum cacumen videretur nobis extendi ultra clivum, quasi necesse esset de petra cacuminis in clivum saltum facere deorsum, vel cum funibus submitti. Fatebantur domini milites omnes, qui tamen multa in mundo experti fuerant, quod numquam tam periculosam viam vidissent. Igitur, cum in campestribus essemus, videbatur nobis et ita erat, quod in alia regione essemus, ibi enim desertum incipit magis humanum fieri et virgulta ac gramina reperiuntur, per loca ibi pastores et pecora habitare possunt. Ibi ros amplius non est sal, sicut superius Fol. 27., sed mel et manna, ut patebit fol. Hic incipit provincia Madian, quae multas nationes habet habitabiles et plures inhabitabiles. Processimus ergo per campestria et volebamus eodem die procedere usque ad montana, sed infirmi fratres nostri pra labore murmurabant et gemebant; propter eos ergo

